

tinguat. Quicquid sit aut erit, juvat præiuisse ad alta & ætherea, capiat, qui mente est talis, qui non tenebras suas amet & jactetur. Tu Deus Lux temporum ac rerum scintillam aliquam, si non radium emittas, ut & nunc videre, adire, reservare Thesauros antiquitatis, & reservare velint. Tu, inquam, Dux Magne DEus, mentes erige, manus dirige, ut sic salutaria, & salubria dijudicent, indicent; & multorum malorum facinorâ vindicent. Sunt alii, qui passim discurrunt, & quando nomen dederunt, gaudent, gratulantur, gloriantur, quorum tamen citò gloria abit in favillas. Ah quàm sæpè mutata gaudia in lacrimas, an & lacrimæ in gaudiâ? Jam non dicam. Hoc potius, nonnunquam ejusmodi? mutasse militiam, rarò, aut nunquam malitiam. Nihil novi, quin jam & nunc fiat. Sunt sæpè fortunæ albæ pulli, nunquam adversus ventus strinxit, neque aura tristior libavit eos, quos facilè dejiciet & resolvat minima adversantis fortunæ aura. Quàm olim severi in militem delinquentem Romani fuerunt, quàm curiosi, satis superque apparet ex monumentis veterum de re militari. Apud Indos in morem abiit, ut qui semel mentitus, ab omni magistratus honore & munere exfors haberetur. Jam multi habenas laxant affectibus suis, & ut Pindarus ait; habent os sine fræno. Audita enim & non audita referunt. Vana ut vera recensent, per circumstantias augent, poliunt, & ut dicta ac verè facta, referunt. Ut aranearum textus ideò melior non est, quia ex se fila gignunt: sic nec sermo eorum, qui nectunt ac stringunt nodo illo in abrupto. Omne illud vitium detestandum & foetum, quod non solùm in foedis, sed natum & conflatum è foedis. Apud Romanos mendacium;

cium;